Fragmentarium

inimicos meos: et in insurgentibus
in me malignantibus audiet au-
ris mea. Iustus ut palma florebit:
sicut cedrus libani multiplicabitur.
Plantati in domo domini: atriis
domus dei nostri florebunt. Adhuc
multiplicabuntur in senecta uberi:
et bene patientes erunt ut annuncient.
Quoniam rectus dominus deus noster: et non est
iniquitas in eo. Gloria. Bonum est
confiteri domino. a. Metuant dominum omnes
fines terre. ps. Deus deus meus. a. Et in servis
Audite celi que loquar: au-
diat terra verba oris mei. Con-
crescat in pluvia doctrina mea:
fluat ut ros eloquium meum. Qua-
si ymber super herbam: et quasi stil-
le super gramina: quia nomen domini
invocabo. Date magnificentiam deo
nostro: dei perfecta sunt opera: et omnes
vie eius iudicia. Deus fidelis et
absque ulla iniquitate iustus et rectus:
peccaverunt ei: et non filii eius in sor-
dibus. Generatio prava atque perversa:
heccine reddis domino popule stulte
et insipiens? Numquid non ipse est
pater tuus: qui possedit et fecit
et creavit te? Memento dierum anti-
quorum: cogita generationes singulas.
Interroga patrem tuum et annunciabit
tibi: maiores tuos et dicent tibi.
Quando dividebat altissimus gentes:
quando separabat filios adam: Con-

statuit terminos populorum: iuxta numerum
filiorum israel. Pars autem domini populus
eius: iacob funiculus hereditatis
eius. Invenit eum in terra deser-
ta: in loco horroris et vaste soli-
tudinis. Circumduxit eum et do-
cuit: et custodivit quasi pupil-
lam oculi sui. Sicut aquila pro-
vocans ad volandum pullos
suos: et super eos volitans. Ex-
pandit alas suas et assumpsit
eos: atque portavit in humeris
suis. Dominus solus dux eius fuit:
et non erat cum eo deus alienus.
Constituit eum super excelsam ter-
ram: ut comederet fructus agrorum.
Ut sugeret mel de petra: ole-
umque de saxo durissimo. Butyrum
de armento et lac de ovibus: cum
adipe agnorum et arietum filiorum
basan. Et hircos cum medul-
la tritici: et sanguinem uve biberet
meracissimum. Incrassatus est
dilectus et recalcitravit: incras-
satus impinguatus dilatatus.
Dereliquit deum factorem suum: et
recessit a deo salutari suo. Pro-
vocaverunt eum in diis alienis:
et in abhominationibus suis ad ira-
cundiam concitaverunt. Immola-
verunt demoniis et non deo: diis
quos ignorabant. Novi recen-
tes qui venerunt: quos non co-

Fragm. lat. 97-2

License: cc-by – Leipzig, Universitätsbibliothek, Fragm. lat. 97, 2v – Psalterium feriatum
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-j4r7/205/2853)